

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Innocencia h  
cum uariis

Gaude de innocencia et exulta! Gaude, inquam, quia ubique illesa es, ubique secura. Si temptaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, uincis; si occideris, coronaris. Tu in seruitute, libera es; in periculo, tuta; in custodia, leta. Tibi omnis reatus adicitur, tibi uniuersa milicia subiugatur. Te potentes honorant, suscipiunt principes, magnates exquirunt, eciam illi non nunquam te desiderant qui inpugnant. Tibi boni parent, mali inuident, zelant emuli, inimici subcumbunt; nec unquam poteris uictrix non esse, eciam si tibi inter homines iudex iustus defuerit.

Crisostomus in omelia.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

es] est P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; uincis] uicis V<sup>2</sup>; coronaris] coronaberis C; tu *om.* M; subiugatur] subiungatur M; eciam] et P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; non *om.* (*cor. supra lin.*) M; subcumbunt] succubunt P; tibi *om.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>